



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XXVII. Der Bischof Balderam bestätigt dem Domcapitel dessen Besitzungen und Gerechtsame 1186.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

procuratio quatuor circumiacentium villarum, quarum vocabula sunt Rutenize Rotenwienstorp, Brodifse, Gerardistorp, et preterea tertia pars decime ex eisdem quatuor villis, et insuper ex eadem villa Juterbock absque contradictione ad eandem ecclesiam perpetuo pertineant. Sequenti quoque tempore Venerabilis Sifridus tunc Brandenburgensis Episcopus, postmodum vero Bremensis Archiepiscopus, eandem ecclesiam in Juterbock dedicavit et quatuor villas, quarum supra scripta sunt vocabula, cum tertia parte decime, que ex iisdem villis, et ex ipsa villa Juterbock provenire poterit, que ad Brandenburgensis Episcopatus iustitiam spectabat, integraliter in dotem et proprietatem Ecclesie absque contradictione assignavit. Nos igitur precedentium vestigiis inherentes, Ecclesiam in villa que vocatur Dicke confirmavimus et dotavimus cum assignatione duarum villarum proxime adiacentium, quarum una vocatur Hinrikestorp sive Waltrikestorp, altera Rulestorp. Ut autem hec, que a duobus Episcopis Venerabilibus in prescriptis donationibus rationaliter et absque contradictione gesta sunt et preterea nostra donatio nunc et in perpetuum stabilis et inconvulsa permaneat, presenti scripto cum sigilli nostri impressione decernimus, et autoritate Dei omnipotentis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli sub anathematis comminatione stabilimus. Actum anno Domini Incarnationis Millesimo Centesimo Octogesimo Tertio.

Brun's Beiträge I, 234.

XXVII. Der Bischof Balderam bestätigt dem Domcapitel dessen Besitzungen und Gerechtigkeiten 1186.

— Ego Balderamus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus. Quia in ecclesia beati Petri, apostolorum principis, Brandeburch, divina, ut spero, me promovere voluit gratia, iustum est, ut eam modis omnibus, quibus valeo, honorare et exaltare satagam fratresque nostros ibidem deo fervientes consolatione fraterna foveam eorumque iustis et rationalibus petitionibus aures exorabiles prebeam. Eorum itaque iustis precibus pie annuentes, bona Brandenburgensis ecclesie, que ei predecessores mei episcopi et seculares principes seu quelibet honoratorum vel privatorum persone iusto jam donationis titulo contulerunt vel adhuc collature sunt, nos auctoritate dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis, et domini Urbani pape et nostra confirmamus et presentis pagine munimine stabilimus. Inprimis ergo collaudamus et confirmamus, ut canonici ordinis Premonstratensis, qui secundum dei timorem et beati Augustini regulam ab episcopo beate memorie Wigero in ecclesia sancti Godehardi in villa Parduwin dignoscuntur prius constituti, postmodum vero a venerabili episcopo Wilmaro consilio et auxilio domini Wichmanni, Magdeburgensis archiepiscopi, atque marchionis Alberti et filii ejus, marchionis Ottonis, in sedem episcopalem urbis Brandeburch sunt transpositi et usque ad tempora nostra laudabiliter conversati, inconvulsa permaneant. Omne etiam jus canonicum, quod cathedrales ecclesie Saxonie iuste et rationaliter debent habere eisdem canonicis confirmamus, videlicet ut, obeunte eorum pontifice, in electione futuri episcopi cum preposito eorum, qui et episcopalis sedis archidiaconus est, primam habeant vocem, nullusque eis in vitis per aliquam subreptionis fraudem vel per violentiam preponatur, sed quem concursus fratrum cum preposito assensus vel pars sanioris consilii de gremio ipsius ecclesie elegerit, ipse optineat. Si autem in ecclesia eorum persona ad pontificalem dignitatem non invenitur idonea, quod facile fieri non spera-

mus, alias idonea persona ab eis libere assumatur. Sancimus etiam, ut archidiaconatum episcopatus totius videlicet terre de Havela versus orientem usque Oderam, item versus occidentem usque ad aquam, que Yla dicitur, dilectus filius noster Henricus, qui in presentiarum Brandeburch prepositus habetur, et sui successores indivisum et indiminutum perpetua stabilitate optineant. Preterea confirmamus ei et successoribus suis bannum de subscriptis Buchwardis, scilicet Scartowe, Mokerne, Loyburch, excepta ecclesia Dalechowe, Buchowe, Gorckeke, Ridicce, Wisenburch, Beltitz, Nimich, Jüterbuch, Dame; item curam animarum urbis Brandeburch, que eos jure episcopalis sedis contingit et episcopus Wilmarus, cum eos in eam transponeret, eis concessit suosque successor Sifridus episcopus eis recognovit et concessit, et nos etiam recognoscimus et stabilimus. Item decernimus, ut ecclesia Sancti Nicolai in Borch, que est filia matricis ecclesie Sancte Marie in eadem villa Borch, sicut hactenus ad archidiaconatum Brandeburch pertinuit, sic de cetero pertineat et ut nullus eam ab eodem banno separet, auctoritate nostra et banni nostri interdicto prohibemus. Notum etiam esse volumus, quod curam animarum de ecclesiis, que ad usum predictorum fratrum pertinent vel in futurum adhuc nostra, deo volente, et aliorum donatione pertinebunt, Henrico preposito et suis successoribus in perpetuum concessimus. Ecclesiam etiam Verchiezere, in burgwardo nostro Prizerwe sitam, cum capella Marzane ei attinente, decimam quoque ville Plufezin, super Zucham site, quam Sifridus Burchgravius pro anima patris sui nobis resignavit, in usus eorundem fratrum dedimus: quam villam idem Burchgravius marchioni Ottoni resignavit, qui eam pro anima patris et matris sue cum omnibus attinentiis in usus predictorum fratrum contradidit. Hec et alia bona, tam a predecessoribus meis episcopis quam a principibus et aliis fidelibus ecclesie Brandenburgensi collata et ipsorum episcoporum et gloriosi imperatoris Fritherici privilegiis firmata, nos quoque auctoritate patris et filii et spiritus sancti presenti scripto et sigilli nostri impressione firmamus. Si quis hanc nostram confirmationem temere infregerit vel mutaverit, si ammonitus non respuerit, condigne pene hic et in futuro subiaceat. Fiat, fiat. Amen. Hujus rei testes sunt Henricus, ejusdem ecclesie prepositus et archidiaconus, Riquinus, prior, Winandus, cellerarius, totusque conventus, Baldewinus in Gorckeke, Otto in Trachewitz, Marfilius in Roschouwe, Hermannus in Nauwen sacerdotes; Otto, ejusdem urbis marchio, fratresque sui, Henricus scilicet, comes in Gardelege, Albertus in Arneburch, Sifridus, Burchgravius, Johannes de Plote, Burchardus de Plozeke, Conradus in Lindowe, Otto, Rudolfus, Gero, Theodoricus, Bartholomeus. Acta sunt autem hec in urbe Brandeburch, anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXXXVI<sup>o</sup>. indictione IIII. epacta XXVIII. concurrente II.

Nach dem Originale.

### XXVIII. Markgraf Otto II. schenkt dem Domecapitel das Dorf Reinoldsdorf (Pöylin) 1187.

— Secundus Otto, marchio Brandenburgensis, et frater ejus, comes Hinricus de Gardelegen, que bene et rationabiliter ad honorem Sancti Petri in Brandenburg, nec non ad utilitatem fratrum in eadem ecclesia militantium, facta sunt, ut rata et inconversa permaneant, auctoritate nostra confirmamus. Considerantes autem, ex largitate elemosynarum salutem animarum plerumque consistere, villam Reinoldstorp, in terminis provincie, que Zucha nuncupatur, ob nostri me-